

*Excerptum ex Actis Congressus Iuridici Internationalis
Romae*

LADISLAUS ABRAHAM

PROFESSOR IURIS CANONICI IN UNIVERSITATE IOHANNIS CASIMIRI LEOPOLI

16621

J. U. U.

**Ius canonicum particulare in Polonia
tempore Decretalium Gregorii IX**

Excerptum ex Actis Congressus Iuridici Internationalis
Romae, 12-17 Novembris 1934
Vol. III, pag. 407-414


ROMAE
APUD CUSTODIAM LIBRARIAM PONT. INSTITUTI UTRISQUE IURIS
PIAZZA S. APOLLINARE 49
1936

20

LADISLAUS ABRAHAM

PROFESSOR IURIS CANONICI IN UNIVERSITATE IOHANNIS CASIMIRI LEOPOLI

Ius canonicum particulare in Polonia
tempore Decretalium Gregorii IX



Excerptum ex Actis Congressus Iuridici Internationalis

Romae, 12-17 Novembris 1934

Vol. III, pag. 407-414

ROMAE

APUD CUSTODIAM LIBRARIAM PONT. INSTITUTI UTRISQUE IURIS

PIAZZA S. APOLLINARE 49

1936



W. 135/48



K
20 I. 1947
Kutrzeba

SUMMARIUM. — Ecclesia sub dominio potestatis saecularis.

Actio Archiepiscopi Henrici pro libertate et immunitate Ecclesiae (1199-1219): investitura, ius spoli, privilegium fori; ecclesiae in proprietate privatorum; beneficia et ecclesiarum parochialium redditus; columbacio; decima.

Statuta concilii provincialis Archiepiscopi Fulconis a. 1233, de vita et honestate clericorum, de secreto servando; contra violatores ecclesiarum; de religiosis; de decimis et decima libera; de vicariis ecclesiarum parochialium; revocatio antiquorum statutorum poenaliu.

Fulco archiepiscopus anticipans tempore anni spatium excedente publicationem Decretalium Gregorii IX, mense Iulio a. 1233 Syradiam provincialem Ecclesiae Polonae convocavit synodum, in qua varia in usum magnae huius provinciae statuta edita sunt. Quae statuta antiquissimum legislationis synodalis monumentum in Polonia inventum esse constat, cum omnia quotquot fuerint antiquiora provinciae Gnesnensis statuta temporis iniuriam passa sint. Quamquam enim provincia haec iam anno 1000 rite est constituta, fontes tamen historici praeter nonnulla principum statuta ad res ecclesiasticas pertinentia neque vestigia synodorum in Polonia saeculis XI et XII habitatum per metropolitans Gnesnenses tradunt. Habentur solae mentiones nonnullarum synodorum a legatis apostolicis convocatarum: annalesque Poloniae graviorum statutorum unius solius synodi per Petrum legatum apostolicum anno 1197 habitae tradunt notitiam.

Prima autem synodi provincialis mentio ab archiepiscopo Gnesnensi convocatae legitur sub anno 1206. Illo ex tempore frequentiores talium synodorum reperiuntur mentiones, quae aliquando tempore colloquiorum principum habebantur, nec desunt notitiae de episcoporum congressibus variis temporibus variasque ob causas convocatis, ubi aliquando etiam quaedam edita sunt statuta, ut in congressu Mstoviensi anni 1212.

Porro antiquissima synodi dioecesanae memoria viget de dioecesi Vladislaviensi a. 1227.

Ipsa enim constitutionum iuris communis cognitio, quam ante Decretum Gratiani et posteriores decretalium apostolicarum collectiones ex vetustioribus hauserunt collectionibus in Polonia notis, imprimis vero ex Collectione trium partium, ex Regula Amalarii et fortasse etiam

ex Decreto Burchardi Vormatiensis, non sufficiebat ad varia iuris problemata commode extricanda, quae praxis ecclesiastica exhibebat in Polonia divisa in provincias principum singulorum iuri obnoxias, eamque ob rem diversas ab aliis exhibente rationes evolutionis socialis et oeconomicae.

Pertinent haec etiam ad alteram saeculi XII partem, praesertim cum Polonia a principalibus cultus occidentalis focus ac reformatricis actionis Ecclesiae nimium distaret. Vicens quidem a christianismo fere recepto consuetudo observandi ieiunii, a Septuagesima incipientis, testari videretur de severa ac vere religiosa Polonorum vita; itemque aequae antiquum institutum solvendi in rem Sedis Apostolicae tributi, postea Denarii S. Petri, posset innuere Poloniam inter et Sedem Apostolicam intimas intercessisse relationes: re vero ipsa aliter se habebat. Vulgus enim continuo fovebat superstitiones paganas et incantamenta; connubia non fiebant coram Ecclesia; et quod profecto magis erat dolendum, ipsa cleri vita minime eximio ac praeexcellenti eius respondebat officio, cum clerus variis ludis saecularibus deditus caelibatum non observaret.

Quibus in moribus emendandis legatorum praescripta parvum effectum sortiebantur. Ipso etiam anno 1221 papa Honorius III concedens uni ex canonicis Vratislaviensibus dispensationem, hanc de clero Polono profert sententiam: ... *qui secundum generalem consuetudinem terrae illius indifferenter de facto matrimonia contrahebant, quae a Polonis reputabantur legitima.*

Quid mirum, si ob talem morum cleri corruptionem diutius quam alibi in Occidente Ecclesia Poloniae a potestate saeculari dependebat? Principes enim episcopos investiebant, secundum suum beneplacitum capitulares distribuebant praebendas, ius spolii exercebant, cleri causas iudicabant ipsaeque ecclesiae manebant propriae fundatorum eorumque heredum, qui et in monasteria ius advocacionis sibi vindicabant.

Legati quidem apostolici nonnulla studebant emendare, sed nisi magno illi libertatis immunitatumque Ecclesiae Polonae propugnatori, Henrico archiepiscopo Gnesnensi (1199-1219), nemini res successit: hic demum adiutus a papa Innocentio III eas impugnavit et abolevit constitutiones, quibus usque ad hoc tempus innitebatur ecclesiam inter et principes relatio, quamquam hoc ipso non in omnibus praxis vetustior vim perdidit.

Episcoporum quidem investitura ineunte saec. XIII abrogata est; multo tamen difficilior erat iuris spolii abolitio. Etsi enim unus ex praestantissimis Poloniae principibus iuris huius applicationem iam in congressu Lanciensi a. 1180 resignavit, filii eius una cum alio principe particulari Innocentium III papam circa a. 1210 rogabant, ut sibi aliquam episcoporum decessorum hereditatis partem concederet, at frustra. Immo post mortem Henrici archiepiscopi princeps villas ecclesiae Gnesnensi relictas occupavit, et Fulco archiepiscopus adhuc in una ex posterioribus synodis excommunicari iussit omnes *sive sint principes sive alterius dignitatis, qui res episcopales sede cathedrali vacante praesumpserint in usus suos redigere vel per aliquam violentiam occupare.*

Henrico sedem archiepiscopalem tenente privilegium fori exceptis hereditariis causis recognosci coeptum est. Bona vero ecclesiastica varias maioris momenti immunitates obtinuerunt.

Beneficia nullis erant usque ad hoc tempus regulis obnoxia. Praeter episcopatus beneficia proprie dicta extabant praebendae capitulares eo ex tempore, ex quo, post erecta capitula exeunte saec. XI, ineunte XII fundata sunt. Quamquam saeculo XII capitulis nondum competeat ius concedendi in nonnullos actus episcopales, attamen statim suum bonorum complexum, a mensa episcopali separatim obtinuerunt, inque capitulorum institutione facile dignoscuntur influxus Gallo-Romani. Praeterea nova specialiaque fundabantur beneficia, simulatque parochiarum evolutio progrediebatur — paulatim id quidem, quia parochiarum evolutio non secundum aliquam certam perficiebatur rationem, sed pendebat ex ecclesiarum foundatione sive per episcopos sive per principes sive denique — id quod porro maximi erat momenti — per laicos bonorum dominos. Attamen haec ecclesiastica instituta longum per tempus in bonis administrandis sui non erant iuris, nam continuo iura dominorum ecclesiarum respicienda erant. Qui domini pro lubitu conferebant et auferre ecclesias, et eo ipso subtrahebant eos ab episcoporum iurisdictione et archidiaconorum visitatione. Iam illis temporibus reperire licet vestigia institutionis, iuxta quam aliquando in eadem parochia eademque in ecclesia duo habebantur parochi, id quod aliquando et in Occidente usu venit. Cuius institutionis in Polonia causa versimillima haec esse videtur, quod ecclesiae per complures simul fundatae erant dominos, qui singuli suos postea volebant habere parochos pro possessionum suarum incolis.

Ipsa posteriorum beneficiorum parochialium fundamenta paulatim formabantur: praeter immobilia aliquando donata et usu fruitionem,

aliquando beneficia gaudebant censibus et iure exigendi solutiones, ut iuramenti et sepulturae causa, aliorumque id genus tributorum, inter quae eminent *columbatio* quae Bohemis est *colendisatio*, quam exigebat parochus visitans suos parochianos tempore Nativitatis Domini et Kalendis Ianuariis.

Decima ad finem usque saec. XII parum reportabat, cum satis esset incerta. *Decima* in Polonia erat praecipue episcopalis, episcopi vero in fundatione monasteriorum vel etiam ecclesiarum singularum decimas suas ad ista instituta conferebant. Attamen debitum decimale eo tempore non erat commune, quia plurimae incolarum classes eam non solvebant et praeterea praediorum domini subditos suos ab eo liberabant.

Hanc ob rem Ecclesia in Polonia inde a tempore Henrici archiepiscopi ad hos disciplinae ecclesiasticae in Polonia defectus auferendos nititur imprimis exequi praescripta iuris communis quam optime nota egregiis saepeque in extraneis studiis generalibus eruditis Poloniae episcopis, qui universi fere aderant in concilio Lateranensi IV a. 1215. Testantur enim hoc variae quaestiones tunc ex Polonia ad Sedem Apostolicam directae et tam ad generalem disciplinam ecclesiasticam quam speciatim ad beneficia spectantes. Nonnulla rescripta ipsas Gregorii IX Decretales referunt. Non dubium est quin synodi Polonae saeculi XIII ante a. 1233 habitae eadem viguerint ratione, quod iuris communis praescripta ad speciales Ecclesiae Polonae conditiones applicarent: statuta vero synodi a. 1233 harum constitutionum putantur esse continuatio. Differunt vero a prioribus et in hoc, quod aliqua praescripta antiquiora repetendo aut compendiose exprimendo iuris particularis praebeant evolutionem, novas quidem iuris huius enucleando vias, debitas specialibus Poloniae conditionibus, simulque praestent aliquam antiquiorum statutorum correctionem et emendationem. Patet ergo haec nova statuta compensare antiquiora, cum talia tantum tradant praescripta, quae praeter iuris communis praecepta speciales intendunt fines. Fieri potuit, ut hanc ipsam ob rem statuta antiqua oblivioni sint data et prorsus exiderint.

Nova statuta quam maxime inculcant antiqua praescripta de reverentia sacramentorum et de vita et honestate clericorum. In his eminent vetita matrimonia clericorum ordinum maiorum et contubernia matrimonialia licet in minoribus existentes matrimonium contraxerint. Clero quam gravissime vetant vitam in concubinato: episcopis et archidiaconis visitantibus mandat synodus, ut praescripta haec

custodienda quam exactissime curent, idque addit, ut archidiaconus, si quem ex clericis propter vitam dissolutam suspenderit, in scio episcopo censuram hanc non auferat.

Antiquorum statutorum, ex tempore actionis Henrici archiepiscopi pro libertate Ecclesiae vindicanda susceptae, vestigia sunt praescripta de secreto Capitulum servando et de privatione beneficiorum clericis, qui contra Ecclesiam et superiores suos coniurationes et conspirationes cum laicis inierint.

Desunt tamen praescripta de privilegio fori; synodus respiciens speciales in Polonia conditiones prohibuit monachis, quominus sine superiorum suorum permissu causas coram iudice saeculari agerent.

Sed cum eo tempore propter continuas inter singularum regionum principes dissensiones neque ecclesiis nec coemeteriis parceretur, bona ecclesiastica continuo diriperentur, Ecclesia Poloniae semet ipsam defendit minitans gravissimas poenas ducibus exercituum manipulorumque talia scelera admittentium omnibusque iis, qui iura iurata Ecclesiae violarent.

Cetera praescripta maiorem beneficiorum vim ac curam manifestant: statuta enim usurpant iam talia verba, ut ius patronatus eodem sensu adhibita ut in iure communi; praeterea ut beneficia ecclesiastica praesertim parochialia, in temporalibus sui sint iuris, videtur esse effectum.

Praeceptum fuit etiam, quod claustrales viri in saecularibus ecclesiis personaliter non deservirent.

Ad augendam autem et stabiliendam ecclesiarum dotem maxime contulerunt statuta a. 1233 de decimis, innixa in quibusdam antecedentibus conventionibus cum potestate saeculari et in constitutionibus concilii Lateranensis IV. Agnita fuit ut communis obligatio solvendae decimae manipularis frugum agrestium, quae nullam admitteret exceptionem: soli nobiles — id quod etiam fuit proprium iuris particularis in Polonia — privilegio gaudebant decimae liberae, h. e. licebat nobiles solvere decimam cuilibet ecclesiae et erant liberi a vectura.

E contra his in statutis novum legimus praescriptum, quod in posterum magis nocuit quam profuit, de obligatione residentiae beneficiorum. Constitutionem enim c. 32 concilii Lateranensis IV, permittentem beneficiatis gaudentibus dignitatibus vel praebendis capitularibus, quibus annexae erant parochiae, ut pro his parochiis speciales substituant vicarios, statuta in omnes extendunt ecclesias parochiales, dum-

modo episcopus consentiat. Solis vicariis non licebat sufficere vicesgerentes. Statutum hoc beneficiorum cumulationem faciliorem reddidit.

Ceterum synodus haec clero quam instantissime commendavit ut vitam religiosam ac moralem christianorum curaret, quo facilius severiorum poenarum necessitas posset auferri. Quam ob rem synodus antiquum reformavit ius, omnia fere abrogans antiquiora praescripta poenalia severa quidem, sed obscura, quae ultra ius commune saepe poenam excommunicationis et interdicti statuebant eamque ob causam plus damni quam commodi afferebant.

66.408



16 66408